



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Franciæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67277)



PROVINCIA FRANCIÆ.



DVOBVS domicilijs socij à postremo illo cæterorum in varias prouincias dispersu, reliqui centum circiter & viginti. Virduni quidem etsi non idem perpetuus constitit numerus, is tamen si pauculos nouitios adijcias, tricenos ferè expleuit; Sacerdotes^u quindecim, in his docendi munus obeunt 3. & item duo Nostri Sacerdotes. Rei familiaris adiutores 6: tyrones 7. Mussiponti autem 90. numerantur. Hos inter, Sacerdotes 40. è quibus Præceptores 9. humaniorum verò literarum cæteri Magistri 4. Scholastici 18. opere domesticæ coadiutores 28. Vita functus vnus.

COLLEGIUM VIRDVNENSE.

SCHOLARVM dignitatem auditorum frequentia, vt tempora fuere, commendauit. Cæterum in longinquis infestissimi belli molestijs solatio non mediocri fuit, iampridem peropta

peroptatæ omnibus , inter potentissimos Reges pacis conciliatio; qua viæ Nostris hominibus ad dominicæ vineæ cultionem iamdiu interclusæ patuerunt : sic ardentioribus longa intermissione animis vsitatæ excursions in pagos & agrum circumiacentem factæ , puerisque ac rudibus tradita fidei rudimenta ; tanto cum incolarum lætitiæ sensu , & erga Nostros obseruantia, vt antea nunquam illis hominibus visos , quasiq̃ue diuinitus ad eos missos crederet. Catechistes noster pagos interdum duodecim tredecimve è puerili viriliq̃ue ætate collectis ordinibus, longo examine modulatè supplicantes, ductu Curionum præeunte cruce traduxit, eorūque sunt Christianæ institutionis, diuiniq̃ue sermonis appetentes. Vir nobili familia in oppido quod duodena millia passuum Virduno abest, morbi grauitate ita conflictabatur, vt dubium exitum reformidaret. Potiorem tamen morborum animæ curationem esse ratus, nostrum quempiam ad se, eodemq̃ue negotio ad suos ciues mitti rogat. Cumq̃ue ob infestum etiam latrocinijs iter, impetrare potuisset neminem, nullis viæ periculis aut difficultatibus se detereri passus est, quominus ad nos deportandum se curaret. Mira auditu res! Pœnitentiæ Sacramentum subita sanitas est consequuta. Porro qui apud nos totius vitæ sordes confessionis beneficio absterferunt, fuere amplius centum: qui sacrosancta Eucharistia vires animæ aut confirmarunt, aut refecerunt ad quindecim millia peruenere. Nam cõcionum ardor, & solito instructior dicendi vis, ædem nostrâ frequentiore omnium ordinum concursu celebravit. Nauarunt Nostri nosocomio, vinc̃tis, animam agentibus, vsitatam operam. Hæreticis duobus Catholicæ fidei veritas affulsit. Nobiles totidem viri affinitatis iuncti vinculo à grauib; inimicitijs ad pacis & beneuolentiæ recõciliationem nostris arbitris reducti sunt. Non abfimilis opera in par coniugum capitali inter se odio

dissidentium, ut mutua pestis alteri ab altero metueretur, secundo exitu deriuata. Mulier diuturnis iam prope exanimata parturiendi doloribus, cum rerum humanarum nihil quicquam medicinam periclitanti faceret, ecce cuiusdam e nostris animum subiit coelestis amuleti, adiumentique cogitatio: Thecam reliquariam cervicibus exemptam adhiberi curat, qua mulier accepta, de repente praeter hominum expectationem foetum ingenti cunctorum gaudio atque applausu incolumis edidit.

SCHOLAE laetum nouo apparatu anni principium habuere. Siquidem Illustrissimus Princeps Henricus se primum a sexennali apud nostros Mustipontanos disciplinarum tractatione, institutioneque, atque a Romanae peregrinationis reditu ad Episcopij sui sedem deinceps incolendam Viridunum receperat, exceptusque communiuini ordinum gratulatione & magnificentia fuerat. Nostrae itaque propriae quoque partes erant, & pro tanti viri loco ac dignitate, & pro perpetua illius in Societatem intimaque beneuolentia, solemnem eiusdem ad Collegium nostrum aditum quam honorificentissimo rei literariae ornatu atque apparatu concelebrare. Quapropter omnis ingenij vis ad eam celebritatem ab Auditoribus, omnis cura vigilantiaque ab Scholarum moderatoribus adhibita est. Nec verò vana eius in nos amoris abundantia, aut externa specie contenta: proluxa insuper apud nos suae liberalitatis documenta extare voluit. Aedes Collegio vicinas, vsuique nostro peraccomodas mille nummis aureis coemptas nobis attribuit. Sacrum edis instrumentum si nonnullam quoque aliorum beneficentiam adiunxeris, coronatis plus minus ducentis locupletauit. Adhuc nihilo minus de Societatis commodis, deque Sociorum fouendo, vel agendo numero, quam de suis proprijs rebus negotijsque cogitare eum solitum esse perspeximus. Quocirca est profecto quod diuinæ prouidentiae in tanto

Prouin

Prouinciæ naufragio ingentes habeamus, & agamus gratias, quæ grauissimum Societatis casum, quam & Socijs, & Sociorum subsidiaria propagatione adeo accisam ceruimus, hac aliqua leuatione molliorem facit, pariterque inopiam huiusce domus, piorum virorum benignitate recreat. Quemadmodum nuper Abbatis cuiusdam Gallici, qui Collegio tantum tritici annui sponte assignauit, quantum senis fere focijs alendis satis esse queat.

COLLEGIUM

MVSSIPONTA-

NVM.

SACERDOS vnus diem clausit extremum P. Claudius Ceuogeonius, Aruernus Billo- mensis, annos quatuor & triginta natus. Ex his in Societate sedecim vixit. Auditores externi nongentos excessere. At florentem gymnasij statum pestifera lues in aliquot adolescentium contubernia varijs oppidi regionibus, sub medium Iulium, vno tempore de repente inuadens, ita disturbauit, vt pauculis diebus manifesto periculo trepidi omnes penè Scholastici aliò atque aliò diffugerint, nonnullos in ipso itinere equis excussos vis morbi oppresserit. E nostris magistri & auditores, & quos ætatis aut naturæ causa, vel officium urgebat, à vicinæ nostris ædibus contagionis afflatu statim salubriora in loca dimissi. Celeritatem fugæ maturauit repentinus eius quem modò dixi Patris morbus, non leuia luis indicia ostendens. Quanquam is seiunctas in ædes, adiuncto ad subsidium alio Patre, deductus, tandem longioris ægotationis genere post tertium ferè mensem abruptus est, & vsitato funere Nostris iam domum

quasi omnibus reuersis elatus. Communis hæc calamitas solitam studiorum instaurationem non distulit modò, sed celebritatem etiam publici dramatis præmiorumque distributionis planè sustulit.

DEIPARAE Sodalitium duos ad religiosam Cappuccinorum familiam emisit. Societatis institutum aliquot etiam experunt. Solennis expiationis, velut Iobilai, promulgatio animorum religionem ad indulgentiam peccatorum procurandam, magna frequentia in templum nostrum exciuit. Totius ætatis exceptæ ita multæ hoc anno confessiones, vt multorum annorum laborem numerumque superent. Diuinorum propterea mysteriorum perceptio, & sacrarum concionum auditio apud nos his paucis annis adeò frequens esse cœpit, cuiusmodi nunquam hic inspecta fuerat. Prudenter verò ante ipsum periculi à lue discrimen prouisum erat, ne quid forte in æde sacra contagij à ciuibus in nostros homines, dum sacrosancta Synaxis communi mensa obitur, afflaretur; vt clathris proprijs alij ab alijs discretim abessent. Quod autem solum templi exteriorum mensæ ad æqualitatem domesticæ statuendæ gratia comportatis rudibus paulò altiùs eleuari oportuerit, euenit vt aræ duæ minores attollendæ quoque fuerint: quibus denuo sacrandis euocatus Antistes, eadem opera conuocatos à Nostri toto oppido ciues, & Scholasticos, quos Confirmationis expertes iam longinquum eius beneficij interuallum ætasque prouexerat, sacro Christianæ militiæ caractere, pœnitentia ante expiatos, consignauit. Ad sacrae vestis instrumentum Sacerdotis sacrificantis amictus accessit, aureæ tele contextu, & opere phrygio magnificè elaboratus; aureis 50. æstimatur. Ea liberalitas fuit Abbatis Benedictini coenobij paucis milliaribus hinc diffiti, qui vir & antiqua nobilitate & singulari prudentia præditus, anno superiore spiritualibus exercitijs apud nos excultus,

ad ea

ad eadem hoc anno iterum se perpoliendum retulit. Vnde illa prorsus noua vniuersis monasterij facies, ac veteris disciplinae restitutio profecta est, quæ non sine hominum prudentium admiratione cernitur. Ad hæc rursum domesticam in tanto Nostrorum numero indigentiam diuina prouidentia amplius ducentis coronatis eleemosine nomine per homines varios donatis, nonnulla ex parte subleuauit. Quæ pecunia peropportuna alédis ruri Nostris, & sanè necessaria fuit. In egentes quoq; auditores (quorum ingens est hic multitudo) vir quidam probus ac pius dissimulato nomine per concionatorem nostrum aureos quinquagenos misit, Nostrorú fide ac manib⁹ diuidédos.

H A E C Academia, facultatis medicinæ noua Schola illustrari cœpta est, superiore anno Nostrorum impulsu decretá: idque magna studiosorum opportunitate, & ægrotantium Nostrum adiumento ac solatio, qui ad hoc tempus vrbano medico carueramus. In aula Serenissimi Lotharingæ ducis hoc quadriennio nostrorum concionatorum opera eiusdem accitu versata est, præsertim Aduentus & Quadragesimæ temporibus. Liurduni (oppidum est imperatorij nominis, antiqua Episcoporum Tullensium sedes) cum hebdomadæ sacræ, Paschalibusque feriis in Dominicæ vineæ solerti cultura occuparetur Sacerdos noster, vna ea vox Canonorum, & oppidi Præfectorum fuit, ab vnis hominibus Societatis salutis esse rationes ac vias perdiscendas: hos deinceps omissis iis, qui antiquo vsu asciscebantur, euocandos esse. Quod in nos studium iidem postea non vulgari munere (quod à Collegio, quo missum fuit, constanter repudiatum est) non obscure testati sunt.

P E R G I T Illustrissima Princeps Vademontana Reuerendissimi Virdunensis mater pietatis exemplo, & assueto Nostrorum labore celebrioribus festis subditorum variis pagis distinctorum salutem procurare. Hi iam

ad diuini verbi mentem animis excipiendam frequenter, & ad Sacramentorum participationem feruenter conueniunt. Alio loco cum Sodalitas quaedam certam pecuniam foenebrem exerceret, neque id Parochus longam consuetudine roboratum posset abolere, aduocatus Sacerdos noster dicendo effecit, vt abdicato omni foenore fors legitimo potius censu crederetur, vsuræ exploratis dominis restituerentur: quæ verò incerti dominij forent, ex Episcopi arbitrio pios in vsus abirent. Ad priuatas meditandi exercitationes iterum accessit Illustrissimus Princeps Episcopus Virdunensis, cuius erga Societatis homines ea est necessitudo, vt & singulos fratris nomine amplexuq; & ordinem ipsum gratia & ope quaqua potest profequi nunquam desinat. Clarissimus quoque vir D. Malhianus, Episcopatus Metensis Prætor, doctrina & vsu rerum inter paucos eximius, humillimo spiritualium commentationum genere rursus voluit exerceri. Eodemque tempore vna etiam alter nobilis, illi ipsi sanguinis propinquitate iunctus, itidemque viri primarij Ecclesiastici Tullenses non pauci, adducti quorundam aliorum iam exercitorum inusitata vitæ ac morum mutatione. Neque vnquam à fundato Collegio tanta his locis, harum rerum vel assiduitas, vel emolumentum spiritualis magnitudo, quanta his paucis annis fuit, existisse memoratur. Eiusdem Reuerendissimi Virdunensis rogatu Pater vnus ex hoc Collegio in lustranda dioceseos parte comes adiunctus est Vicario maximo, & Archidiacono, quæ 42. fere annis visitata non fuerat. Qui Pater negotium illud bimestre, prudentia & feruore suo haud mediocriter promouit. Catechismum rudibus explanauit, conciones aliquando quaternas in die, quinas nonnunquam habuit. Ad Dei cultum augendum, ad ædium sacrarum instauracionem, ornatumque multa eius consilio constituta fuerunt, quæ prius neglecta iacuerant.